

non XII. Sed verò licet adducta pro posteriori sententia argu-
 menta valida satis meritò judicentur ; prior tamen æquivalenti-
 bus non videtur destituta fundamentis. Cui itaque sententiæ in
 dubiò hoc negotio subscribendum , dubitat omninò æquus re-
 rum æstimator. Subtilissimus *Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 1 n. 5.*
 concisè , nervosè tamen hunc difficultatis nodum dissolvit.
Periculum præsens, inquit, hic requiritur & quasi in punctò. Fateor
quidem, si insultator arma arripiat, & quidem ita, ut appareat, eum
id facere occidendi animò, occupari posse facinus. Verum ut brevi-
 tas in obscuritatem degenerat facilè ; sic concincta hæc Grotii
 sententia solvenda clariori explicatione. Distinctionis ope pro-
 positum me assecuturum opinor scopum : propius interim ad
 posteriorem superius propositam accedens sententiam. Simpli-
 cem verbalem offensionem à mixta verbis & factò hic discer-
 nendam arbitror. Nudis verbis factæ offensionis nullò actu ex-
 terno accedente defensio violenta aut armata non est propor-
 tionata. Excederet quippe longissimè propulsationis gravitas
 offensionis levitatem. Et ita prioris sententiæ argumenta dixe-
 rim acceptanda. At verò diversum omninò de minante & ad mi-
 narum exercitationem se simul præparante asserendum. Exterio-
 ra hic ad partes vocanda signa, sufficientem præfagientia offen-
 sionis præparationem. Multiplex eorum varietas certam haud
 admittit determinationem. Desideratur terror & metus extre-
 mus actuique proximus. Sed qualis ille fit, æquo iudicis defini-
 endum arbitrio. Duo saltem hic recensere placet signa, quo-
 rum exemplo & reliqua facilè concipi poterunt. Aggressorem
 minaci animò bombardam è theca eximentem, vel gladium in
 vagina arripientem si videam, licita erit defensio. Neque enim
 expectare teneor, donec me *invadens* bombardam displodat,
 aut gladium è vaginâ educat. Illa equidem cunctatio pericu-
 losa satis, & propriæ salutis favor justam operantur præventio-
 nem. In proximâ enim aggressor iis casibus constitutus poten-
 tia, quæ ipsi ut plurimum æquiparatur actui: Ducto eleganti ar-
 gumento ex *l. 1. §. 20. & l. 18 §. 2. π de acquir. vel amitt. possess.*

XIII. Illorum interim signorum certitudinem ex instru-
 mentorum qualitate dimetiri nolim. Etsi enim gladii evagina-